

V 9  
5568



Q



QCDK. 195. (16)

V<sup>g</sup>  
3568



QK 195

III, 795

Q  
I

M





# LUTHERUS

THEOSDOTOS.

ORATIO,

Mendacijs Papisto-Turcici cu-

jusdam Iesuitæ, originem doctrinæ cœ-  
lestis, cujus ἱεροφάνης interpretes & doctor divinitus ex-  
citatus fuit MARTINUS LUTHERUS, Dia-  
bolo blasphemè ascribentis,

*Opposita à*

JOANNE SIMONIO,

*Rhetorices in Academiâ Megapolitanâ*

*Professore P.*

Wolfgangus Severus, Ferdinandi Cæsaris  
quondam Præceptor.

*Japeti de gente prior, majorq; LUTHERO.*

*Nemo fuit: sed nec, credo, futurus erit.*



R O S T O C H I T

Excudebat Stephanus Myliander,

M. DC. VI.

*Serenissimo atq; Celsissimo Principi ac  
Domino,*

**DN. CHRISTIANO II.**  
Saxoniae Electori, Sacri Roma-  
ni Imperij Archimarescallo, Landgravio Tu-  
ringiae, Marchioni Misniae, Burggravio Magdebur-  
gio, Domino meo Clemen-  
tissimo.

**A**ugusta ô Regum Soboles, augustior Ipse,  
CHRISTIANE Elector: Princeps celsissime: nostrum  
Lutherum; tua quæ est virtus patrita & a vita; (hunc  
Mente serenata, vultus venisse sub istos,  
Clementer patere, & ferram huic defende benignus.  
Aspice, quam sero blasphemæ pectoris æstu  
Lutherum mendax Jesu de gente propago  
Lancinet! ut totum uno tollere gestiât iclu!  
Sed frustra. Vivit Christus: viget incluta Ruta:  
Tuq; Pater Patriæ vivis. Vive, optime, vive  
Princeps, in Pylios quam felicissimus annos,  
Doctrinæ scutum LUTHERI! Religionis  
Assertor veræ, defensor, magna columna!

*Ex Rosarum Academia Megapolitana Kal. April. 1606.*

*Serenissimæ Celsitudinis vestræ*

*Subjectissimus*

**JOANNES SIMONIUS.**





RECTOR ACADEMIÆ  
ROSTOCHIENSIS

Nicolaus Willebrandus

Philosophiæ & I. U. D. ac  
Professor.

**E**Xcitavit Deus ter maximus & Clementissimus, qui Ecclesie suæ naviculam nunquam relinquit desertam, hisce ultimis mundi temporibus, in extrema ejus senecta, magnum, divinum & planè incomparabilem heroa MARTINUM LUTHERUM, qui pro Ecclesia Christiana adeò fortiter pugnavit, atq; diabolorum furias ita compescuit, ut licet rabiosè contra illum fremuerint, sub ductu tamen & auspicio sui Imperatoris Christiani felicem inde reportarit victoriam, deq; hostibus Ecclesie Christianæ, auspiciatissimo prælio devictis, jam perpetuum in caelesti gaudio agat triumphum. Et quamvis hodiè reperiantur non quidem homines, sed hominum portentosa quædam monstra, imò incarnati quidam Diaboli, qui præ sua diabolica malitia & invidia, tantum heroa, & virum, omni laude majorem, omniq; calumnia potiozem, petulantissima lingua insectari & mendacissimis suis calumnijs atq; convitijs flagellare non erubescunt: Vanus tamen est & irritus omnis eorum conatus, cum arx fortissima sit nomen Domini ac præsidium longè tutissimum, sub quo Lutherus omnesq; ejus genuini discipuli contra omnes inferorum portas & cunctos Diabolorum impetus bonam strenuè militant militiam, immarcescibilem inde coronam vitæ æternæ reportantes. Profluit non ita pridem ex Magnitiacis latebris barbarus quidam & obscurus Escavita, illum


ca, illum confidens, catus, ut videretur esse quantivis precij. Is ro-  
tus, quantus quantus, ex meris & impuris mendacijs atq; calu-  
mnijs confusus LUTHERUM præceptore Diabolo usam omnem  
doctrinam, quam professus est, ex institutione Diaboli hausisse,  
impudentissimè scripsit, adeòq; in illum debacchatus est, ut ex Dia-  
lorum conciliabulo non ad alium finem, quàm ut infectaretur  
LUTHERUM, in terram ablegatus esse videatur. Nomen  
istius Nebulonis omitto, quippe cum Diabolus hominis nomine  
sit indignissimus. Huic præter alios se opponere studet Vir erudi-  
tissimus JOHANNES SIMONIUS Oratoriæ Professor  
Clarissimus, Collega noster omnium bonorum amore ac benevo-  
lencia dignissimus, qui si de Academia nostra non alijs, ijsq; multi-  
plicibus modis promereret, sicuti hætenus ( præfiscinè & sine in-  
vidia hoc dixerim ) tam præclarè promeritus est, ut ea in parte vix  
quemquam ipsi jure præferre queam, nescio profectò, an non pro-  
pter hoc laudabile studium, quo vanissimos ac mendacissimos  
Sycophantarum clamores fortissimè retundit, summa laude & o-  
mnium commendatione sit quàm honorificè afficiendus. Agite  
Proceres Academiae nostræ præstantissimi, vestro quisq; loco hujus  
Oratoris nostri studia longè utilissima ac saluberrima, quantum  
potestis, promovete, & vos juvenes ornatissimi, hunc præceptorem  
vestrum fidelem ac industrium ad utilitatem vestram quàm maxi-  
mam alacriter ac studiosè audite. Cum vero cras media Nona  
contra illum Lutheromastigem Orationem sit recitaturus, gravem  
nervosam ac eruditam, nostrum erit omnium ad ejusmodi recita-  
tionem frequentiores accedere, atq; orantem cum silentio ac favore  
eupidè audire. quod ut Domini Doctores, Professores, Magistri ac  
Studiofi juvenes eò faciant promptius, eos publico hoc pro-  
grammate officiosè & peramanter invito. P. P. sub

Academiae Sigillo, 28. Martij Anno  
M, DC. VI.



Dici





**D**ei illius, Magnifice Dn. Rector, Cla-  
rissima atq; lectissima concio, quo in Ecclesijs no-  
stris memoria gravissimè à Satana in deserto ten-  
tati Christi celebrata est, ratio mihi in mentem re-  
vocavit cujusdã è Iesuitica gente propudij Luthe-  
ro Turcicas, quas inscripsit, Orationes, quibus excrementum illud  
paludis stygia dicam scribere peracerbam Megalandro Lutherò, hu-  
jusq; sanctissimis cineribus indelebilem turpitudinis maculam asper-  
gere conatur. Nam cum vir divinus, Theologorum phosphorus, ma-  
gnus Filij Dei Evangelista, Martinus Lutherus, quodam in loco  
commemoret, quàm gravis sibi aliquando, quamq; periculi, atq; cor-  
ipsum externantibus, pavoribus plena, cum Diabolo, disputatio in-  
tercesserit: ex ea narratione, quã suam cum hoste piorum infen-  
sissimo, atq; maximè implacabili, luctam, non quidem corporis lacer-  
tis neq; malleolis aut catapultis, sed spiritu & fide, interiorisq; homi-  
nis, divinitus inflammatis, viribus debellatam; ipsi cum omnibus  
sanctis, cum Patriarchis, cum Prophetis, cum Apostolis, cum capite  
Ecclesia Iesu Christo communem; gravi verborum atq; sententia-  
rum pondere Lutherus describit: homo pessimus, totus ex fraude &  
mendacijs factus, ut cornicum oculos configeret, omni pudore proje-  
cto, nullaq; libidine mentiendi prætermisã, summã inanitate, vani-  
tate majore, effingere non veretur, quasi Lutherus fassus sit, se Ma-  
gistro Diabolo usum, quo præceptore eam, quæ salvificam coram  
Deo justificandi continet rationem, quamq; magno ac intrepido pro-  
fessus est animo, imbiberit doctrinam. Quæ quidem incredibilis &  
ab eo, qui se cæcorum ducem, eorum, qui in tenebris sedent, lumen,  
impudentum præceptorem, imprudentum doctorem profitetur, profe-  
cta levitas & clarissima calumnia, quin omnes, qui eandem, quam  
ministerio Lutheri Deus huic senescenti mundo, iterũ accendit, Ev-  
angelij lucem non inviti neq; ingrati sequuntur, ejusq; radijs collu-  
strati

B

D Iei

Is ro-  
calu-  
mnem  
au fisse,  
ex Dia-  
taretur  
omen-  
omine  
erudi-  
ofessor  
enevo-  
multi-  
ine in-  
arte viz  
on pro-  
issimos  
de & o-  
Agite  
o hujus  
tantum  
ptorem  
a maxi-  
a Nona  
gravem  
recita-  
c favore  
gistras  
pro-



strati ad Deum Patrem, per unicum propiciatorium Iesum Christum  
accedendum noverunt, pios moleste graviterq; afficiat, nullum apud  
me est dubium. Me quidem animumq; meum effusissima illa men-  
tiendi Iesuitæ libido vehementissimè percussit, mirificeq; perturba-  
vit; quod nunquam mihi persuaderi passus fuisset, fore aliquem, qui  
sibi ab ipso Iesu nomen imponat, tam immanem, tam ab omni pieta-  
te alienum, qui tantum improbitate suâ, malitiam ipsam superet, ut  
veram & salutarem, de Iesu Christo, ex limpidissimis sacra scripturæ  
fontibus haustam, doctrinam, Diabolo, mendaciorum parenti, perdi-  
tionis auctori, Salutis nostræ prædoni, conatu impudentissimo ascri-  
bat. Etsi verò nec ab ingenio, neq; eruditione, neq; eloquentia ita sum  
instructus, ut cum Iesuitis, qui sibi ipsi, in tanta vicinorum iniquita-  
te, orationis politæ atq; elegantis laudem superbissimo titulo jam pri-  
dem vendicant, me comparare possim, nedum ut fulmini dictionis Ie-  
suitico, quo perterrefactum me nonnihil sentio, opponere ausim; ju-  
dicabam tamen pro Iesu Christi gloria, pro Megalandri Lutheri mi-  
nisterios esse nostrum cuivis, quos de Lutheri nomine, cum de confes-  
sione nostræ agitur, appellari, non usq; adeo pudet, nec piget, suo loco  
pugnandum. Neq; hoc, quantumcunq; est, quod certè maximum est,  
tantopere urgendum videretur, si, quæ in adversarijs summa sunt,  
hæc in nobis saltem essent mediocria, cum & dictio dictioni, & flos  
flori, & fucus fortasse fucis obduci posset: verum ita se res habet, ut e-  
go quidem, qui neq; usu satis & ingenio parum possum, meam tenui-  
tatem & infantiam lubens agnoscam, victoriæ verò hujus tota ratio,  
non in verbis grandibus neq; commentis hominum magnificis, sed in  
piscatorio dicendi genere, & sacro sanctæ scripturæ momentis, posita  
sit. Illud quoq; mihi in mentem venit subsidij, quod penitus explora-  
tum habeo, confidoq; illum Deum, cujus causam egit Lutherus, mihi  
hoc quoq; tempore, suo sancto spiritu, clementissimè adfuturum, esse-  
turumq;, ut multis & magnis injurijs Lutheri debilitata virtus ve-  
stro non minus, Auditores, iudicio, vestraq; benevolentia, atq; equani-  
mitate recreetur. Quæ quo plura sunt, eò me magis magisq; incen-  
sum, & ut has cum omnibus bonis atq; pijs communes partes sume-  
rem,

rem, mirificè excitatum fuisse profiteor. Atq; ut intelligatis, quid illud sit, quod ex ea, quam omnibus verè Lutheranis communem dixi, pro Megalandri Lutheri ministerio propugnandi provincia, vel officij, vel pietatis, non temeritate impulsus, nec sapientia opinione extimulatus, sed veritatis amore ductus, in me receperim: totam hodierni diei causam, qua sit futura, dicam. Ostendam Megalandri Lutheri doctrinã, non à mendacio, sed à veritate profectam esse, Deumq; ipsum, non Diabolum, magistrum atq; auctorem habere. Tu Fili Dei, qui salvificam justificandi hominis religionem, cujus, tuo Spiritu sancto impulsore, doctor & propugnator fuit Lutherus, è sinu Patris tui eterno ad nos detulisti; rege animum, rege mentem, rege linguam meam, ut ea in hoc clarissimo confesso dicam, qua tibi sint grata, verbo tuo probata, nobis omnibus salutaria.

Postquam compertum est, gentem Jesuiticam, in colloquio, quod Ratisbona anno post nuperum Iubilaeum proximo habitum fuit, nostrorum Docentium, ex sacro sancto verbi Dei armamentario desumptis conclusionibus, tanquam arctissimis quibusdam vinculis, esse constrictam, sic, ut quocunq; se commoveat, turpitudinem & impietatem suam toti orbi terrarum expositam animadvertat: doluit hoc vel maximè eum, cujus operã & nixu partus ille locustarum infelicissimus, saburra Monachorum exitiosus, regibus funestus, toti mundo intolerabilis, ipso inferno obstetricante, exstitit, sinistrisq; auspicijs in lucem prodijt: nunquamq; desijt ex eo tempore, in omnes occasiones intentus, id eniti, id pugnare, id contendere, ut quibus artificijs, quibusq; technis acceptam illam plagam malesanus sanaret, quàm callidissimè excogitaret. Itaq; de factu suo Jesuitico modo excitavit hunc, qui ex divinissimis & ambrosia merã stillantibus Megalandri Lutheri scriptis, ceu crabro, succerdam exugeret: modo inflammavit illum, qui optimi viri vitam diris incesset, & miris defædaret modis: modò exacuit alium, qui doctrinam Lutheri dente Theonino, non secus ac catuli scruta solent, quàm indignissimè & miserrimè convelleret. Cumq; hi impudentia omnes, quisq; pro se, suum officium facerent, quantã possent maximã, nihilq; in se desiderari

derari paterentur, quod ad Lutherum exagitantium pertineret: tum  
verò, qui id strenuè faceret, qui Lutherum majori scelere, majoriq;  
impudentia contaminaret, conspurcasset, & sit venia dicto, percacaret,  
reperit nullus, præter illum, qui ex rictu suo Diabolico e-  
vomere non dubitavit, catholicam, de vera justificandi hominis co-  
ram Deo, ratione, quam Lutherus, ad sanguinem usq; defendit, do-  
ctrinam, esse ipsissimi Sathanae, animarum nostrarum latronis, Dei  
hostis irreconciliabilis, doctrinam & commentum. O proterviam!  
& caput caninum! ô scelus! non satis tibi fuisse, hæretice Jesuita, re-  
gum parricida, Gorgonis soboles, nos vivos igni & gladio, in tua so-  
lemni Romana cæna, præter jus fasq; mancipare, nisi etiam in mor-  
tuum Lutherum debacheris, nisi in Leonem jacentem, cujus vivi-  
ne aspectum quidem, nedum calamus ferre potuiffes, venenatissi-  
mos linguæ istius effrenatæ acinaces distringas? Sed fremas, sed sa-  
vias, sed ringaris quantum libet. Stabit, stabit veritas; manebit  
verbum, cujus doctor fuit Lutherus: rumpantur licet tibi, tuisq; af-  
fectis ilia, quantumvis in terrâ vertatur mare, licet mutato natura  
ordine terra undiq; paludibus stagnet: manebit verbû Dei, stabit ve-  
ritas, quam professus est Thaumasiander, & magnus Filij Dei Evan-  
gelista, Lutherus: stabit, inquam, & stabit in sempiterna sæculorum  
secula. Quam veritatem cum tu, hæretice Jesuita, pro isto tuo, in  
quem te procul dubio Deus dedit, reprobo animo non agnoscas: da no-  
bis paulisper, ut quàm longè tu à veritate ab sis, quàmq; toto tu ab  
ea distes cælo, exactè perpendamus. Principio, Auditores, non cre-  
dendum est, esse aliquem tam deploratæ dementiæ, ut eum, cujus do-  
ctrina est divina; cujus vocatio fuit divina; cujus vita, quantum  
homini fas est, inculpata fuit, elatrare ausit, non à salutis auctore,  
sed interfectore, non à vitæ largitore sed destructore, non à Deo sed à  
Diabolo doctrinam suam accepisse. Est enim, Auditores, hoc non na-  
tum, sed scriptum, quod non ex natura arripuimus, sed è salvificis  
Israelis fontibus hausimus, ad quod non facti, sed docti sumus; ut si  
quis mysteria doceat, à Filio Dei in genus humanum revelata, in  
quibus salutis nostræ & vitæ aeternæ conditio posita sit; hunc à Deo  
Opt:

Opt: Max: generis humani parente munificentissimo, excitatum do-  
ctorem credamus, hunc audiamus, huic fidem habeamus, in eius di-  
ctis acquiescamus; Eum verò, qui nugas, qui assumenta hominum,  
qui in Iovis infernalis antro nata somnia in medium asserat, etiam si  
Paullus, aut etiam Angelus sit de cælo, tamen tanquam à Deo repro-  
batum deceptorem aversemur, detestemur, diris, execrationibusq;  
devoeamus. Compara hic, cacolyce Iesuita, universum tuum men-  
daciorum turpissimorum exercitum: explica omnes densissimarum  
calumniarum copias: in aciem produc instructissima fracidarum  
stropharum agmina: nunquam tamen, ne quidem in omni tua ver-  
sutia, in omnibus tuis dolis, in omnibus machinis invenies, unde ef-  
ficias, ut vox Dei, vox Prophetarum, vox Doctoris gentium suble-  
sta facta evertatur atq; convellatur. Quanquam, Auditores, negare  
neq; volo, neq; si vellem, possum: tantam esse, tamq; supinam Iesuita-  
rum impudentiam, tantam rabiem, tam Diabolicum furorem, ut sa-  
cro sancta scriptura, sceleratissimam mobilitatis, obscuritatis, incerti-  
tudinis, deniq; levitatis notam flagitiosissimè inurere non erubescant.  
Sed tamen è multis millibus fortè unus ille Lutheroturcicus Iesui-  
ta, quæ est virginalis ipsius verecundia, quæ in ordinis sui nomencla-  
torem, Iesum scilicet, mirificâ observantia, hoc largietur, hoc conce-  
det; hoc dabit sui ordinis videlicet præsidi Iesu, ut, quæ ipse per se,  
per Prophetas, per Apostolos, sacrosancta scriptura locupletissimo teste,  
locutus est, patiatur esse certa, solida, explorato atq; indubitato ve-  
ra: neq; committat, ut per ipsum aperta fuci, plana simulationis, ve-  
ra mendacij nefarie & nequiter à blasphemis hominibus arguantur.  
Atq; jam mihi videor videre, commoveri monstrum hominis hac  
mea obtestatione, atq; propemodum efflagitare, ut, quid illud sit, quod  
Iesus noster per se, per Prophetas, per Apostolos locutus sit, in hunc cla-  
rissimum confessum asseram. Miror certè, hominem tam profunda sa-  
pientia, adeò absoluta eruditionis; cui pulicis saltum metiri haud est  
difficile; cui ea sunt cognita, quæ Junoni sua Jupiter Tarpejus ac-  
cumbens in aurem dixit: qui in abditissimo pectoris sui scrinio  
ab omni antiquitate repetitam memoriam reconditam habet; igno-

vare quid ipsum illud sit, quod à me propositum est, illudq; à me petere. Dicam tamen quod res est: morem geram bello viro. Audi tantum Turcice Iesuita, audi: vel quia verendum est, Auditores, ne Cacolytus Iesuita, pro inexplebili sua libidine. & quia sibi metuit, ne si ad scripturam alligari se patiatur, suis se praesidijs exuat, mutato animo ad ingenium redeat, atq; serpentis instar veritati aures occludat: vos ego quaeso, rogoq;, ut mecum ea sacra scriptura mente animoq; recognoscatis testimonia, quibus Iehova veteris foederis Deus, non alios ullos, quam qui ex ore Dei profectum verbum doceant, quiq; hominibus ad veri Dei cultum viam suis concionibus praeant, audiri vates, severissime praecepit: eos autem, qui populo duces sint ad alienos Deos sequendos colendosq;, licet miraculis clarescant, vatium superbiant titulo, donoq;, in omne tempus posterum praedicendi ad miraculum usq; excellant, reijci tamen atq; relegari, imò interfici atq; extirpari, gravissimè mandavit. Cumq; hoc de Iehova veteris foederis certum exploratumq; sit: tum idem Iehova in novo testamento non minori gravitate eandem auctoritatem repetivit. Hic est, intonat antiquus dierum è nube, Filius meus dilectus, in quo acquiesco: hunc audite. Quid autem Filius hic dilectus, dux communis & magister hominum à Patre constitutus? Qui vos, inquit ad discipulos, audit, me audit. Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra: Sicut me misit Pater meus, ita & ego mitto vos. Profecti ergò docete omnes populos: & baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: & docete eos servare omnia, quaecunq; mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. De eodemq; legato & nuncio summi patris Iesu Christo, Paulus ter magnus Apostolus testatur, eum in altum ascendisse, donaq; hominibus dedisse, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & doctores: quos omnes bonos esse affirmat Iesu Christi ministros, si verbum salutis, verbum vitæ retineant: si Evangelium, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, praedicent: si Dei sapientiam, quam Deus ante secula praedestinavit, loquantur: si ea doceant, quae ad edificationem corporis Christi faciant: si idem cum Paulo sentiant

tiant, eodemq; incedant canore: si magnum pietatis mysterium, Deum, conspicuum factum in carne, conspectum ab Angelis, praedicatum gentibus, creditum in mundo, assumptum in gloria, fratribus proponat: hos bonos esse Iesu Christi ministros affirmat, hos vult audiri, his bene precatur, his pacem ac omnia bona denuciat: hos faustis imprecationibus persequitur; his multas misericordias Deumq; propitium pollicetur. Qui vero pios turbent, qui satagant intervertere Evangelium Christi; qui Philosophiam & fallaciam vanam agrum Domini praedentur: qui per similitudinem decipiant, adusi in conscientia sua: qui prohibeant matrimonia coire; qui abstinere faciant a cibis: qui irrepant in domos & captivas ducant mulierculas: qui aliud Evangelium, quam quod Paulus docuit, annunciant: hos esse lupos rapaces, non parcentes gregi; homines perversè loquendo efficientes, ut discipulos post se abstrahant: canes: operarios malos: crucis Christi hostes: qui veritati cum Iannes & Iambres resistant: circa fidem reiectaneos: Spirituum deceptorum & doctrinae Demoniorum sectatores, pronunciat: hos fugi, hos vitari, hos careri debere clamat: hos quamvis ipse Paulus, aut etiam Angelus à caelo fuerit, execratur, devovet, terribiliq; anathematis fulmine percutit. Haecine, Auditores, satis vobis expressa videtur & viva Doctorum, quos Deus in Ecclesia sua omnibus temporibus audiri, quos repudiari quos à se missos, quos fures & latrones judicari velit, descriptio? Sed quid mihi oggannituri sint, video: quas de verbo non scripto tenebras mihi offusuri sint, animadverto: quibus traditionum syllogismis, in forma, si Papa placet, insolubilibus in me impetum facturi sint, sentio. Quibus ego ita me oppono, ut majorem apud me esse profitear Discipuli illius unici, qui in sacrosancta caena institutione supra pectus Domini accubuit, gravissimi atq; omni exceptione majoris testis, omnia quae ad salutem nostram necessaria sunt, sacrarum literarum monumentis comprehensa esse affirmantis, auctoritatem; quam universa quadiimitrata nationis futilitatem: plus apud me divinissimam Apostoli ter maximi, electi organi Dei, illam, quam Timotheo suo, in sacris, quas à puero didicerat, literis, contineri as-

neri asserit, quæ ipsum ad salutem per fidem, quæ est in Iesu Christo, erudire possint: valere vocem, quam execrandam Esaviticæ gentis in Spiritum Sanctum blasphemiam: pluris me facere Augustinum, Chrysostomum, Athanasium, Damascenum, Basilium, qui non ad audiendum hoc dico, hoc dicis, sed ad audiendum hoc dicit Dominus nos excitant: qui ad libros Dominicos in discutiendis causis nos alligant: qui, ut, relictis hujus vel illius opinionibus, cuncta à scripturis, omnium exactissima trutina gnomone ac regula inquiremus, nos obsecrant & rogant: qui in ijs, quæ ad veram fidem firmandam pertinent, discendis, ad nullam nos rem nisi scripturas, confugere jubent: qui ultra illa, quæ & per legem & Prophetas, & Apostolos, & Evangelistas tradita sunt, perquirendum nihil jubent: qui divinitus inspiratas doctrinas per se ad veritatis indicationem sufficere censent: denique, qui de manifesto hæreseos, apostasia & superbiæ scelere accusant eum, qui aut reprobet ex his, quæ scripta sunt, aut superinducat quid ex non scriptis: hos eximios, hos incredibili ac divina quadam mente atque virtute Patres, hæc Ecclesia Iesu Christi singularia & toto orbe fulgentia lumina, pluris me facere, quam nocturnum, falsum, fictum improbumque transmarini alicujus, se ipsum intemperanter amantis, & voluptati cupiditatisque sua magis quam Deo servientis, paterculi testimonium. Planum me fecisse, Auditores, judico, eum, qui verbum DEI in monumenta sacrarum literarum relatum profitetur: qui veram salutis rationem homines docet: qui non ad Idola sed ad solum verum Deum, & quem hic misit, Iesum Christum: in quo vita aeternæ cardo, ipsa vita teste, versatur: agnoscendum homines deducit: non à Diabolo sed à Deo missum esse Doctorem: non à mendacio sed à veritate donatum legatum: non ex inferno evocatum, sed cælitus delapsum Angelum & mysteriorum DEI dispensatorem. Verum quid hic Turcicus Iesuita grunniat, intelligo. Quid hoc, ait, ad Lutherum tuum? quid hoc ad Thaumasiandrum vestrum? quid hoc ad Germaniæ Eliam? cui magnifici isti Doctoris, Legati, Angeli, mysteriorumque Dei dispensatoris tituli tam conveniunt,



miunt, quam mendacio veritatis, tenebris solis, turpitudini honesta-  
tis appellationes? O os impudens! ô singulari cupiditate atq; auda-  
ciâ prædite Iesuita! monachorum lamia! veritatis parricida! Re-  
gum percussor! rerump. proditor! mundi teterrima furia! Tene in  
Lutherum, magnum Filij Dei Evangelistam cum Evangelio per me-  
dium cæli volantem, & ad universas nationes, Timete Deum &  
date ei gloriam, exclamantem, tanta tamq; cruda portenta ore  
spurcissimo audere! Tene eum Doctorem, qui non nugas,  
non hominum commenta, non traditionum quisquillas: id quod  
tuus Papa, hæreticorum hæreticissimus, bipedum superbissimus, fi-  
lius perditionis, facit: sed qui verbum JEHOVA; qui, hoc dicit Do-  
minus, sic locutus est Dominus, semper in cre. habet: cujus ex oratio-  
ne nihil, nisi sincerissimum, quo tanquam triumphali curru Spiri-  
tus Sanctus invehitur, Dei verbum, sonat, tonat, fulminat: qui in  
unius & solius Filij Dei, Servatoris nostri ac propiciatorij, sanctissi-  
mis vulneribus justiciam, quæ coram Deo est, quærendam, ad ra-  
vim usq; inculcat: cujus singulæ voces, singulæ syllabæ, apices ferè  
singuli, Christi regnum, Christi justiciam, Christi pacem, Christi sa-  
crificium, oblationem, intercessionem, reconciliationis ministerium,  
pontificatum summum, gratiæ thronum, redemptionis precium, vul-  
nera, crucem, mortem, obedientiam, meritum loquuntur, prædicant,  
spirant; cujus tota doctrina, TOTA inquam doctrina ad Christum  
cum Patre & S. S., per fidem in Filium Dei, rectè agnoscendum,  
colendum, invocandum, amplectendumq; auditoribus facem præfert:  
Tenè blaterare, hunc virum suam doctrinam à Diabolo, mendacij &  
homicidij auctore, totius mundi seductore, generis & salutis huma-  
næ prædone, Filij Dei & membrorum ipsius perduelle, verbi divini,  
quod in agris cordium humanorum disseminatum est, deprædatore,  
accepisse? O Jesu Christe, qui sedes in dextris æterni Patris tui,  
qui in tuorum inimicorum medio dominaris, DEUS magne, Deus ex-  
ercituum, Deus fortis & potens! tu hæc vides? tu hæc audis? tu hæc  
pateris? Quanquam quid stomachor, Auditores? quid indignor?  
quid vociferor? Egone Iesuitas ad meliorem mentem redigam?

C

egone

egone anguipedes illos cerbereos rectè ingredi docuere? egone Can-  
nio amore savientes, egone eos, qui Veneris cestum habent, à libidi-  
ne ad pudorem, à mendacio ad veritatem, à malitia ad sapientiam  
revocavero? Quin potiùs habeant suas sibi labra lactucas: dele-  
tentur suis crepitibus: servant sibi, quam ex purissimis divi Lu-  
theri scriptis, non sine ingenti scelere, exugunt, succerdam, viri tre-  
decim cubitorum, feles Tartessia, rana Seriphia. Nos verò tam exi-  
mio, divinitusq; excitato viro, Doctore Martino Luthero, gaudea-  
mus: laboribus ipsius latemur: singulari Ducis & magistri nostri in  
nos beneficio triumphemus. Ipse enim ille Filius Dei, qui in altum  
ascendit, ut det dona hominibus, ipse ille est, qui pro suâ in omnes  
homines inexhausta benignitate, senescenti huic mundo Lutherum  
misit, eumq; ad templum Domini, in quo sedisimus Papa, ventris,  
Dei sui, excrementa deposuerat, repurgandum, & ad verè Catholi-  
cam à Deo per Patriarchas, per Mosen, per Prophetas, per Filium,  
per Evangelistas, Apostolos & Doctores propagatam doctrinam re-  
parandum, divino suo spiritu, mirificè armavit. Nam per Deum  
immortalem, quis soli, quod à Deo patefactum est, verbo ita adha-  
rens, ejusq; apicibus unicè insistens, de sacra scriptura, origine, au-  
toritate, & efficacia Luthero docuit melius? quis de Deo Trinuno,  
de ejus agnitione: de Iesu Christi persona deq; officio: de S. Sancti  
majestate, munere donisq; clarius? quis de creatione mundi, ange-  
lorum & hominum: quis de protoplastarum lapsu: de peccato: de  
naturali, veteri, corrupto, restauratoq; homine; quis de fructibus re-  
generatorum: quis de lege, de Evangelio, de utriusq; discrimine, ve-  
riùs? quis de prædestinatione; de peccatoris coram Deo justificatio-  
ne gratuita; deq; fide salvifica, salutariùs? Quis de bonis operibus;  
de preceatione; de jejuniis; de pœnitentia solidiùs? de Sacramentis,  
de baptismo & cœna Domini explanatiùs? de Ecclesia veras; de con-  
cilijs; de ministerio illustriùs? de regno Iesu Christi, de ejusdemq;  
Sacerdotio eterno significantiùs? de libertate Christiana distinctiùs?  
de cruce ad consolationem accommodatiùs? de miraculis Christi a-  
pertiùs? de Antichristo Romano graviùs? de humanis traditioni-  
bus se-

bus severius? de adiaphoris & ceremonijs enucleatius? de matrimo-  
nio honorificentius? de Magistratu Politico praclarius? de vita &  
morte; de resurrectione finali; de extremo iudicio; de inferno; de  
vita aeterna constantius? quis de omnibus religionis Orthodoxè Ca-  
tholicae capitibus Luthero Megalandro post Apostolorum memoriam  
unus docuit dexterius? Quæris à me, Lutheromastyx Iesuita, ha-  
ram rerum testimonium? petis auctoritatem? exposcis iudicium?  
Possem, Auditores: vobis loquor, nam Iesuitam à lectione librorum  
Lutheri abhorrentem hac responsione minimè dignum censeo: pos-  
sem fortè in hanc cathedrã omnes Megalandri Lutheri libros convo-  
care: possem, sub hunc augustissimum vestrum aspectum, Lutheri  
tum polemica tum didacticã scripta afferre: in quibus summos, quos  
dixi, religionis nostrae articulos Thaumasiander ille, non solum pro-  
priissimis & significantissimis tum vocabulis tum phrasibus expli-  
cat: sed demonstrationibus, ijsq; non plumbeis neq; frigidis, nedum  
ementitis, quales sunt Papislo Turcici Iesuita, verum acutissimè pe-  
netrantibus, validissimè pererrumpentibus, mirificè animum vulne-  
rantibus solertissimè confirmat. Hac scripta possem fortè huc con-  
ducere; nisi & vos cognitum haberetis, per spectumq;: quæ Lutherus  
docuit, ea ad verbi divini normam composita esse omnia, nec quic-  
quam ab eo viro, quem parens huius universitatis ad recolligendam  
hoc seculo postremo Ecclesiam misit, unquam traditum, quàm quod  
& per legem & Prophetas & Apostolos & Evangelistas divinitus  
manifestatum sit: & mihi, si, quod procul dubio expectatis, face-  
rem, verendum foret, ne in immensum hac mea dictio cresceret,  
atq; mole suã vestram benevolentiam retardaret. Tu verò Luthe-  
romastyx, Papislo Turcice Iesuita, nega, si poteris: poteris autem  
tùm, cum, purpuratorum tui Papæ delictum, mula pepererit: nega  
mihi si poteris, Lutherum de summis illis, quos dixi, articulis alia,  
quam quæ verbo, quod os Domini locutum est, gemina sint, in me-  
dium attulisse. Prodi hic in campum! subi stadium! ingredere  
carceres! hic Rhodus; hic saltus. quid cunctaris? quid cessas? quid  
moliris? Id tamen, si te pugnandi libido fortean incesserit, tibi præ-  
dico.

dico. Non Lutherum illum Megalandrum hoc tempore tecum com-  
parabo: illud enim me facturum paullo antè negavi: Davidulum  
quasi quendam factum Lutherum in aciem adversus te producam.  
Quid illud est, inquires? illum, inquam, librum Lutheri, quem vos  
flocipenditis, qui vobis adeò despectui est, cui tantopere illuditis,  
quem ita abijcitis, ut nihil eo contemptius, nihil puerilius, vobis vi-  
deatur: ut qui eo in vobis oppugnandis utatur, hunc cum baculis,  
tanquam contra canem, pugnatum venire adversus vos dicatis,  
eumq; per deos vestros devoveatis: Ego verò, & omnes mecum ve-  
rè Lutherani, tanquam parva biblia, tanquam totius sacrae scriptu-  
rae sanum exemplar, & simplicitate, perspicuitate puritateq; summa  
scriptum compendium, quod ad docendum prodest, ad consolandum  
valeat, ad exhortandum plurimum possit, ad judicandum de omne  
genus dogmatibus egregiè conducat: magnificimus, veneramus &  
quavis margarita, aut si quid preciosius sit margaritis, cum à sacra  
scriptura discessimus, preciosiorem habemus: hunc librum, Cateche-  
sin dico Megalandri Lutheri parvam, hoc tempore proferam: atq;  
hinc, quam ipsissima Dei vox sit doctrina Lutheri, luce meridiana  
clarioribus deductis argumentis, ipso, cujus causa agitur, propitio, de-  
monstrabo. Brevitate autem utar, vobis, Auditores, gratà, mihi a-  
mica: & unum saltem atq; alterum de infinitate illa, quã id, quod  
volo, comprobare possem, delibata exempla afferam. Atq; ut illud  
videamus, quod statim prima se fronte nobis offert, primum Decalo-  
gi præceptum: age quomodo illud explicat Lutherus? Quid illud si-  
bi vult? querit Paterfamilias Lutheranus. Respondet puer: De-  
bemus Deum supra omnia timere, diligere & illi confidere.  
Pauca verba, immensum verum infinitumq; pondus. Deum, inquit  
puer Lutheranus. At quem Deum? illum Deum, qui, ut pars Ca-  
techismi nostri parvi secunda habet, est Deus pater, conditor cæli  
& terræ, Deus Filius generis humani redemptor, Deus Spiritus San-  
ctus, Ecclesie sue paracletus: qui est JEHOVA, Deus verus,  
Deus vivens; Deus unus: Primus & Novissimus, extra quem non  
est Deus: Dominus Regum: Deus fortis & fidelis: magnus ac  
terri-

terribilis : ignis consumens : immortalis solus : invisibilis : incomprehensibilis : omnipotens : pater luminum : pater noster : rex aeternus : Sanctus Israelis : solus sapiens : justus : scelerum vindex : qui omnia vegetat : qui omnia videt : qui omnium, quæ ab ipso manant, beneficiorum est causa : qui visitat patrum peccata in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt ipsum : Deus benedictus in sempiterna secula : hunc solum Deum timere, hujus adversus peccata furentis iræ cogitatione expavescere, sed ita, ait puer Lutheranus, expavescere debemus, ut ne animum despondeamus, sed ipsum magis erigamus ; ut cum fiducia ad Deum, tanquam ad benignum parentem, accedamus, in ejus paterno animo acquiescamus : eum solum adoremus : ei reverenter nos subijciamus : eum animitus diligamus : in eo solo spem nostram collocemus : ab eo, in quacunq; calamitate constituti, opem atq; auxilium expectemus : ei soli vitam, corpus, fortunas, animum, omnia nostra credamus : neminem deniq; in amando, timendo, colendo, adorando, alium ipsi præferamus. Neq; hic quicquam nostri est judicij nostræq; voluntatis, ut penes nos esse, inq; nostra positum existimemus potestate, quibus Deum operibus colamus, & num Eum timeamus, num diligamus, num spem nostram in Eo fixam collocatamq; habeamus ? Debemus, inquit puer Lutheranus, debemus Deum supra omnia timere diligere, & illi confidere. O magnum infinitumq; paucarum vocum & plenum divinissimarum rerum pondus ! Estne hæc, cacylyce Iesuita, Diaboli doctrina ? estne Satana commentum ? obstupesco hæc quærens, auditores ; & tamen cujus, quæso, hæc vox est alius, nisi ipsissimi Jehova ? Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli servies, quia Ego sum Dominus, inquit Jehova : Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus à te flagitat, nisi hoc, ut timeas Dominum Deum, & ambules in vijs ejus & diligas eum, & servias Domino Deo tuo in toto corde, in tota anima tua ? audi Israel, Dominus Deus tuus unus est : inquit Jehova. Invoca me in die tribulationis & ego exaudiam te, & tu glorificabis me : inquit Jehova. Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota virtute tua,

tua, inquit Iehova. Non quod visum fuerit vobis, sed quæ Ego præcipio facites frustra (enim) me colunt mandatis hominum, inquit Iehova. Estne hæc Diaboli vox? Cacolyce Iesuita. Quid dicam de Secundo decalogi Præcepta? de quo puer Lutheranus interrogatus; respondet: prohiberi eo vanum divini Nominis, qui blasphemando, pejerando, excantando, mentiendo, dolo malo fallendo committatur, usum: mandari autem Nominis divini invocationem, præcipi adorationem, imperari gratiarum actionem, edicere Nominis & Numinis divini celebrationem. Lubens præterea reliqua Decalogi mandata, quibus summè bona opera, Sanctificatio Sabbathi: in parentes pietas: erga leges & magistratus obedientia: iusticia: mansuetudo: castitas: sobrietas: temperantia: beneficentia: veritas, & id genus alia, seriò jubentur, hisq; opposita vitia condemnantur. Ecquid in his inest, Cacolyce Iesuita, quod sapiat magistrum Tuum Diabolum? Sed macte ista tua impietate! macte ista blasphemia tua, Papisto Turcice Iesuita! macte! nec enim aliter facere potuisti, nec debuisti, quàm, ut, quem momentis rerum superare non posses, hunc in cineres redactum improbissimis tuis mendacijs jugulares. Ista etenim Lutheri Catholica & sacris literis, adversus quas ne porta quidem inferorum prævalebunt, fundata Decalogi explicatione, prostrata jacent ista tua omnia: adorationes ligni crucis: cultus statuarum horrendi & multiplices: intercessiones & suffragia sanctorum: vota monastica: consecrationes, panis, olei, vini, magicæ: adjurationes tempestatum & fulminum: creaturarum excantationes: supplicationes ad pulvinaria deorum: ambarvalia: pompæ persicæ: bachanalia: ridicula asini in festo Palmarum circumductiones: abominanda doctrina Iesu Christi corruptela: ordines monachorum innumerabiles: jactantia inaudita, & supra principes, reges, Imperatores, Angelos, Deum ipsum se efferens, pedibusq; conceleratissimis majestates conculcans, singularis ambitio: jacet astorgia: jacent sectiones piorum: infanticidia: odium in Lutheranos immane: furta: fraudes: impostura: hereditatum expilationes: mendicitates: bonorum operum mercatura: sacrorum nundinationes: adul-

adulteria: scortationes: mendacia: assentationes portentosa: obtre-  
tationes: hypocrisis: cupiditates insatiabiles: & si qua id genus  
alia; quibus bonorum operum nomen indignissime affinxistis, & ope-  
ribus à Deo mandatis sceleratè non tantum exaquastis, sed etiam  
pratulistis; virtutes apud vos regnant: ista filice è fundâ Cateche-  
seos Lutherana alacriter emisso disjecta, prostrata atq; exanimata ja-  
cent omnia. Hinc ista tua, Lutheromastix Jesuita, lacruma: hinc  
ista furia, qua te, non tædis ardentibus, ut est in fabulis, sed angore  
conscientiæ noctes diesq; excruciant, eoq; insanie adigunt; ut, cum à  
Luthero inflicti septicipiti Lemurum nocturnorum regi, Papa tuo,  
vulneribus medicinam invenire, neq; in terra, neq; mari, neq; aëre,  
neq; in inferno possis, blasphemò rictu evomas: Dei Opt: Max: doctri-  
nam, quam Megalander Lutherus professus est, esse doctrinam Sata-  
nae, commentumq; Diaboli. Porro, Auditores, quod credimus, nos  
per gratiam, gratis, per redemptionem, qua est in Christo Jesu, per fi-  
dem, absq; operibus legis, justificari: hoc inenarrabile mysterium so-  
la est & unica Theologia. hoc enim, hoc solum est illud totius sacrae  
scripturae & unicum subjectum, uti vocant, adequatum: hæc est  
conscientiarum læsarum recreatio: hoc concordia in Christo vincu-  
lum: Ecclesiae per orbem terrarum variè dispersa in unum corpus  
coadunatio: salus credentium: sol Ecclesiae: Angelorum delictum:  
Dei magnificentia: Christi gloria: quâ luce obscuratâ extinctâq;  
nulla est scriptura, nulla consolatio, nulla concordia, nulla Ecclesia,  
nulla salus, nullus Deus, nullus Christus. Quid autem de hoc my-  
sterio Lutherus? num commentum Satanae, num doctrinam affert,  
cujus fundamentum jecerit Diabolus, ipse parietes excitaverit, te-  
ctumq; imposuerit? Audietis, suspendite vestrum judicium adver-  
sarij. Recita, puer, **ARTICVLVM SECVNDVM DE  
REDEMPTIONE.** Quomodo habet? Et in Jesum Chri-  
stum Filium ejus unicum, qui conceptus est de Spiritu S. na-  
tus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus,  
mortuus & sepultus. Descendit ad Infernâ, tertiâ die resur-  
rexerit à mortuis: ascendit ad coelos: sedet ad dexteram Dei  
Patris

PATris omnipotentis, inde venturus est, judicare vivos & mortuos. *Quid hoc sibi vult? Resp:* Credo, quod JESUS CHRISTUS, verus DEUS, à Patre ante secula genitus, idemque verus HOMO, natus ex Maria virgine, sit meus Dominus, qui me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte & potestate Satanae liberavit, non quidem auro & argento; sed suo sancto ac pretioso sanguine, suaq; immerita passione & morte, ut ego essem, propriè suus, & in suo regno sub ipso viverem, ac liberaliter inservirem, in perpetuâ justitia & innocentia, perinde ac Ipse à morte resurrexit, vivit & regnat in æternum, hoc certissimè verum est. *Audis Papisto-Turcice, quid de indubitata & salvifica per Fidem in Christum consequendi justitiam & salutem æternam ratione Lutherus doceat? Audis confitentem puerum, quod credat se perditum & damnatum hominem per Christum, Deum & hominem, dominum suum, redemptum, & ab omnibus peccatis, à morte à potestate Satanae liberatum esse, non quidem auro & argento, sed Christi pretioso atq; sancto sanguine, ipsiusq; immerita passione & morte. Desideras fundamentum, ex quo hac confessio sit extracta? Tota sacra scriptura, TOTA nihil aliud loquitur. huc omnes veteris Testamenti promissiones spectant: typi collineant: vaticinia tendunt. hanc doctrinam Filius è sinu Patris attulit: Evangelistæ monumentis literarum comprehenderunt: Apostoli per totum orbem terrarum, tum scriptis, tum voce sua propagârunt: sanctissimi Patres, Augustinus, Bernhardus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Macarius, Epiphanius, Damascenus, Cyprianus, Hieronymus, ore uno omnes celebrârunt. Quâ unica atq; saluberrima expiandi hominis in miseriam precipitati doctrina, ejusq; voce, non secus, atq; augustissima arcæ Domini præsentia, impulsus, concidit Deus Moosin, Deus ille aureus & argenteus, Dagon Romanus, regni Babylo-nici nervus, opum omnium hamus, orbem pecunijs exhauriendi instrumentum, omnis gloriæ voluptatumq; condus promus: concidit purgatorium: concidunt omnia merita, meritum congrui, meritum condi-*



condigni, merita propria, merita alicna, merita vivorum, merita  
mortuorum, merita cucullarum, merita supererogationum: vigiliae:  
eleemosynae: peregrinationes; discursationes ad Mariam Laureta-  
nam, ad Aspricollem, ad Hallensem, ad reliquas: concidunt clau-  
stra, canobia: flagellationes: reservationes pectorales & mentales:  
regressus generales: speciales accessus: incorporationes: uniones: re-  
laxationes: taxa paenitentiaria, taxa cancellaria Apostolica: pal-  
lia: annata: & id genus alia tum rerum tum verborum prodigia &  
monstra: quibus sanctissimum unigeniti filij Dei meritum, tanquam  
Cimmerijs tenebris immersum, omni honore, omni dignitate, omni  
virtute spoliatum, adeo olim squallebat, & adhuc apud Cacolycos  
haereticos Romanos squallet, ut vix, ac ne vix quidem agnosci pos-  
sit. Cui, ex tot tantisque in filium Dei blasphemijs conflata, Chimera  
cum se Papa Romanus superimposuerit, atque hoc sacrilegio suo Chri-  
stum; qui est Ecclesiae suae caput, qui est corporis sui ipse salvator, qui  
in omnibus ipse primatum tenet; suo honore perfide exuerit, deique suo  
regno, ausu improbissimo, praecipitem dejecerit: cumque hoc quoque  
adulterinum caput ipsa pueri Lutherani confessione a sua cervice  
revellatur, cum, se ideo esse redemptum, puer fateatur, ut sit Christi  
suis, utque sub ipso in suo regno vivat, ac liberaliter ei serviat in  
perpetua justitia & innocentia: forte, Auditores, hoc ipsum erit,  
quod Lutheromastix Iesuita a Diabolo profectum scribit. Atque e-  
go ipse, Auditores, hoc Lutheri facinus permagnum esse animadver-  
to: tactam hac funda Medusaeum Romani Pontificis caput non nego:  
incisam Tarpeij Praesulis vim potestatemque fateor: sed ita tamen fa-  
teor, ut videam mihi alterum negandum; aut Christum solum &  
unicum esse suae Ecclesiae caput, aut Papae eundem cum Christo hono-  
rem deberi. Si illud negem, profecto verendum erit, ne, suum ana-  
thema Maran-atha in me Paullus, Petrus cuncta ligantem clavem,  
Deus ipse oris sui dissipans omnia fulgur, evibrent, meque Christo  
gloriam suam intervertere satagentem torvo suo compescant aspe-  
ctu: sin hoc coner, dubium mihi nullum erit, quin Patribus sto-  
machum, cucullatis bilem, Papae risum moveam. Hic utrum mihi  
D facien-

faciendum sit, Lutheromastix meus ipse judicabit, num hominis  
nibili, tressis, nauci, qui ut corpus occidat, animam tamen non pot-  
est, offensa metuenda? an vero Dei optimi Maximi, qui & animam  
& corpus occidere & in ignem aeternum abijcere potest, ira im-  
placabilis mihi magis sit pertimescenda? Ut tamen, Auditores, in a-  
liqua apud hoc genus hominum gratia me ponam, ut aliquid ab ijs.  
benevolentiae ineam, nec meam hic dissimulasse plane sententiam  
videar: quid de tota hac causa sentiam, de eo parvulam ut apud Je-  
suitas confessionem edam, mihi concedetis. Confiteor ergo vobis, Je-  
suita, me credere, Pontificem Romanum esse Ecclesiae adversus Do-  
minum & Christum ejus servientis caput: Satanae Apostolum; Dei  
hostem; Christi adversarium; Juda successorem: vinea Domini  
vastatorem: mendaciorum omnium & blasphemiarum ac idolola-  
triae auctorem & doctorem: Archisacrilegum: haereticorum haereti-  
cissimum: raptorem clavium: omnium bonorum totius mundi prado-  
nem: regum & magistratum parricidam: sanguinis civilis fusor-  
em: lenonem omnium lenonum: impuritatis non nominanda fontem  
& praeceptorem: Antichristum denique, hominem illum peccati, & fi-  
lium perditionis. Vide, haeretice Jesuita, quam non reformidem?  
vide, quanta lex liberalitatis & benevolentiae tuae mihi te compel-  
lanti oboriat? Sed ringeris fortasse, quod haec tanta plexophoria  
confitentes nos audis? quod de meretricis Babylonicae, cujus tu incu-  
bus es & succubus, scortationis manifestatione exultantes nos vides?  
quod de patefacto AntiChristo Romano, quod de ostensa toti mundo  
Papae Tyrannide, rapacitate, turpitudine, scelerum immanitate  
triumphantes nos animadvertis? ringeris fortasse, Jesuita, & ange-  
ris: faucesque nobis ferro, flamma, laqueo, quo minus haec tam clara  
atque alta voce loquamur, pracludere gestis? atque adeo omnium Lu-  
theranorum cervices unam esse optas, ut uno ictu incideres? Facis  
egregie, & tuae personae, tuaeque dignum quadrangulari mitrae, cujus  
fundamentum jecit non Christus, cujus tu nomen e mentiris, sed, cu-  
jus tu saetura es, Diabolus: parietes excitavit, non sapiens ille archi-  
tectus, qui nos super petram, qui est Christus, exaedificari jubet, sed  
Ponti-

Pontifex tuus Romanus, qui super se extruit Ecclesiam, & per quem  
vobis esse cum Christo in his terris communionem, gloriimini: te-  
tum deniq; imposuit vestra ista pietas simulata, hypocrisis stupenda,  
arrogantia non ferenda, superbia incredibilis. Sed cum Deus, quæ  
est ipsius admirabilis providentia, & gubernandi res suas ratio in-  
exhausta, Ecclesiam suam, Puerulum illum, sedentem in specu Leo-  
nis & ludentem cum Draconibus, clementissimo suarum alarum  
presidio involutam, adversus vim, adversus tela, adversus latroci-  
nia Papæ, cujus tu crepitum, crepidas dicere volebam, adoras, spu-  
tum lingis, excrementum oles, inexplicabilibus modis, ultra captum  
humanum, validissimâ manu defendat: quia hoc cernis, quia hoc  
sentis, quia hoc palpas, Papisto-Turcice Jesuita: neq; aliud te posse,  
vides, quam ut in ulcere unguis: hac, quæ tibi cerebrum excutit,  
cogitatione extimulatus, his nanijs perterritus, isto improbissimo ira-  
tue æstro percitus, superis infera misces, Neptuno compedes, cælo te-  
nebras, telluri laqueos minitaris: Dei ipsissimi, Dei nostri & Domi-  
ni Iesu Christi, de admirando Patris æterni in mundum amore, quo  
sic complexus est eum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis  
qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam; hujus Dei  
nostri & Domini Iesu Christi, de admirando Patris æterni in mun-  
dum amore, præconium, quod ipsum doctrinæ Lutheranae fundamen-  
tum est & solum & unicum, Diaboli doctrinam flagitiosissimè ebuc-  
cinas: ejusdemq; filij Dei; extra cujus nomen nullum aliud est sub  
cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri; vocem, quæ se viam,  
quæ veritatem, quæ vitam se affirmat; quam nos Lutherani agno-  
scimus, quam predicamus, quam in ore habemus; in cujus fide, Spi-  
ritu Dei adjuti, vivimus, movemur, sumus, morimur: quæ salvatum  
nos iri per Dei gratiam certissimo nobis persuasum habemus: eam  
vocem, homo perditissime, appellas doctrinam Damoniorum, in qua  
nec vivere, nec mori tutum sit. O scelus? ô blasphemiam! Quis  
te non mentitum esse illud, quod præ te fers, nomen liquidò hinc agno-  
scit? Quis te non eorum patrum, qui Christum Daemonium habe-  
re furenter dicebant, quibusq; salvator alio loco respondet, vos ex pa-

tre Diabolo estis; quis non te horum patrum progeniem esse, hinc manifestè deprehendit? Quis autem te alloquio, quis convivio, quis salute, quis hominum consortio, dignum iudicabit? Quis, nisi veritatis acerbissimus hostis te Filij Dei perduellem, religionis Catholicae hostem, gloriae Iesu Christi latronem negabit? Praire nobis Lutheranis, qui paullo fortè natura simpliciores sumus, viam, monstrare vitam, edocere veritatem te velle profiteris. Quam tu, homo inquinatissime, quam tu nobis viam praeas, qui ipsum Filium Dei, qui SE viam affirmat, in Diabolum transformas? quam vitam monstras, cum vitam ipsam Iesum Christum tuo spurcissimo ore, quantum in te est, interficias? quam nos doceas veritatem, qui ipsissimae veritatis doctrinam, mendaciorum parenti, Satanae expensum referas? sordet nobis tuum studium: non placet opera: spernimus industriam: honesta tua omnia respicimus: inanitatem tuam verè inanem agnoscimus, vanitatem detestamur, blasphemiam execramur. abi hinc cum istoc tuo studio ad Antipodes; proficiscere cum tuis operis ad Amazonas: industriam tuam defer ad Cannibales: honesta tua omnia in lupanar Romanum. Nobis Lutheranis via est Christus; nobis veritas est Christus; nobis vita est Christus. Christum solum regem nostrum agnoscimus: Christum solum redemptorem nostrum colimus: Christum solum mediatorem nostrum veneramus: Christi solius crucem, Christi vulnera, Christi mortem predicamus, adoramus, profiteamur: Christi merito nos per fidem justificari credimus: in hoc acquiescimus, in hoc gloriamur, in hoc nos efferrimus; in hoc ipsum, ingruente ira Dei, sevientibus inferni cruciatibus, tonante Legis maledictione, violentia mortis aeternae fulminante, tanquam in portum animarum nostrarum longè tutissimum, nos abscondimus: Christi, ut aliquam finiam, protectione tuti, te tuiq; similes, Gigantes, caeli oppugnatores, crucis Christi hostes, ridemus, illisq; frementibus Lutheri illud: Serva Deus verbum tuum, & Papæ atq; Turcæ cohibe latrocinium, lati occinimus: dum tu interea plenus furiarum, plenus malitia, plenus livore, tuum Maosin adoras; tuo capiti Pontifici insertus vivis; tuis meritis confidis; Christum

sum crucifigis; Diabolum colis, tua hypocrisis superbis; tua verbo-  
rum magnificentia, qua Lutherum stringis, sed non occidis, te oble-  
ctas: vita regum insidiaris; orbem turbas; in Lutheranos mortes &  
bella fabricas. Sed, ut à Iesuita paulisper me revocem, agite, Audito-  
res, cum duo sint in scripturis precipuè celebrata & inter se è diame-  
tro opposita regna, alterum Christi, sanctum & immaculatum, alte-  
rum Satanae, ex sceleribus atq; turpitudine compositum: si Luthe-  
rus illud studiosè summisq; viribus defensitavit: si coluit: si in oculis  
habuit: si pro illo, tanquam pro aris & focus, pugnavit: contra, si  
huic acerrimè adversatus est, huic summa contentione restitit, in hoc  
profligando, omne suum studium, omnem operam, conatum omnem,  
sine exceptione loci, temporis, hominum publicè privatimq; contulit:  
quis erit adeò profligata audacia, quis adeò demens, quis in tam ne-  
farium consceleratumq; & in Filium Dei contumeliosum furorem se  
compelli patietur, ut eam doctrinam, quæ à vero contra mendacium,  
ab operibus Dei contra opus Satanae, à Christo stat contra Diabolum;  
quæ nunquam deest, ne cum periculo quidem, Christi dignitati: cui  
omnis res, etiam minima, quæ ad Christi gloriam ornandam, ampli-  
ficandam, propagandamq; ad regnum autem Satanae frangendum,  
debilitandum, conficiendumq; pertineat, major est totius mundi o-  
pibus, prior omnium hominum benevolentia, carior ipsa vita, potior  
cælo & terra: non veritatis sed mendacij, non lucis sed tenebrarum,  
non Iovæ sed Satanae vocem esse, eamq; non ex ore Domini sed ex ri-  
ctu Diaboli profluxisse affirmet? Hic, hic Lutheri doctrina, si c-  
mnes Diaboli cum Iesuitis existant, si tu, Iesuita Turcice Papicola,  
qui inter illos flores, hanc causam voles cum Pontifice, capite tuo,  
dicere, tamen superior sit necesse est. Regnum enim Christi Luthe-  
rus studiosè coluit: Diaboli Tyrannidi quam maxime infesto animo  
adversatus est: illud summis viribus defensitavit, huic summa con-  
tentione restitit: pro illo tanquam pro aris & focus dimicavit, in hac  
oppugnanda omne studium suum sine exceptione temporis, loci, ho-  
minum, publicè privatimq; posuit. Declarat hoc inter alia nostra  
Catecheseos libellus: testantur ejus singula pagella: demonstrant

Angula ferè lineæ. Nam quid regnum illud, de quo nobis sermo est  
Christi? num divitiæ Crassi? num potentia Pompeij? num impe-  
rium Alexandri Magni? num esca? num potus? num cuculla?  
num ambitio? num fastus? num aurum & argentum? non opinor  
equidem. Quid ergò est regnum Christi in his terris? Dicam duo-  
bus verbis: Gratia & Potentia. Quid autem regnum Satana?  
Tyrannis, heretici, opera carnis. Jam verò, ut extra pomeria Ca-  
techeseos nostræ parumper in amplissimum reliquorum operum Me-  
galandri Lutheri campum expatiemur; quis illam, quæ dominum  
nostrum Iesum Christum, in Ecclesia sua, in cordibus piorum, per  
verbum & sacramenta, dominari testatur, doctrinam tanta constan-  
tia defendit? Megalander Lutherus. Quis, per verbum & Sacra-  
menta corda hominum efficaciter converti, illuminari, regenerari:  
per fidem justificari & æternum beari tanta tamq̃, incredibili animi  
fortitudine docuit? Megalander Lutherus, Quis Iesu Christi me-  
rito, caput serpentis contritum: acquisitam cunctis gentibus & fa-  
milijs orbis terræ benedictionem: sanata vulnera nostræ: è potestate  
inferorum nos esse redemptos, de manu mortis ereptos, ex lacu, in quo  
non est aqua, eductos: iniquitatem expiatam: justitiam sempiter-  
nam reductam: quis hæc tanta tamq̃, sublimia Christi beneficia:  
dominatum ipsius inter medios hostes tam admirandum, tam con-  
spicuum, tam terribilem, tantâ confidentiâ professus est? Thaum-  
fiander Lutherus. Quis regnum Christi æternum & spirituale, quod  
non rapiat sibi potentiam mundi, non destruat politias, nullum inter  
homines discrimen faciat: quod certo tempore, certis personis, certo  
loco non sit circumscriptum, sed quibus solis cursus iisdem terminis  
contineatur: cujus sceptrum sit vox Evangelij; arma, preces; gloria,  
predicatio crucis Christi; cives, populus spontaneus: regnum fide  
fundatum; regnum calamitatibus subjectum; regnum, quod infini-  
tis modis à regnis hujus mundi distet: quis hujus regni veritatem,  
splendorem majestatemq̃, tanta animositate, spirituq̃, ipsis etjam ho-  
stibus formidabili, adversus portas inferorum; non dubitans pro hu-  
jus regni gloria & veritate centenæ singulis etjam momentis per vul-  
nera

vera mortes oppetere; propugnavit? Thaumastander Lutherus.  
Quid dico, Auditores, propugnavit? Adhuc Lutherus in divinissi-  
mis suis scriptis pro Christi regno, animo imperterrito, dimicat: ad-  
huc Lutherus in beneficijs, quæ ex regno Christi promanant, incul-  
candis, celebrandis, adorandis totus est: ibi etjamnum vivit, ibi  
agit, ibi habitat Lutherus. Luthero nullus Tyrannidis Satanae ho-  
stis est capitalior: qui Luthero cum in jugulandis hæreticis cæteris,  
tum in Archihæretico Pontifice Romano exanimando cõferri possit,  
nemo est: adhuc Lutherus innocenter vivendum præcipit: opera  
in lege, præcepta sedulo inculcat: εἰρηθρησείας, figmenta, vanif-  
simorum hominum nugas, severè rejicit: dilectionem seriò flagi-  
tat: sine patientia & longanimitate, non fore quenquam Diaboli  
victorem statuit: quicquid faciat homo, quicquid agat, quicquid  
cogitet, id omne ad fidem vivificam in utilitatem proximi conferre,  
eig, per dilectionem benefacere, alta voce ingeminat: in fide, qua  
cum toto pulcerrimarum virtutum choro, vinculo indissolubili, con-  
juncta sit, universam Christiani hominis essentiam & vitam consi-  
stere, manibus pedibusq, contendit. Adhuc Lutherus in omnia pec-  
cata animadvertit: adulteria, stupra, fornicationes, impuritates,  
salacitatem inferno mancipat: idolorum cultum Diabolo adjudicat:  
veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, iracundias, rixas,  
dissensiones, sectas ad orcum relegat: invidias, homicidia, ebie-  
tates, commestationes & his similia regno Dei privat. An  
non hoc est forti animo pro Christi regno præliari, pro eo  
digladiari, pro eo vitam fortunasq, impendere? An non hoc est  
regnum Satanae impugnare, in potentiam ejus impetum facere, ad il-  
lud euertendum vectes, cæteraq, instrumenta maximo conatu admo-  
vere? & tamen Papisto Turcicus aliquis Iesuita mihi plenis buccis  
negare ausit, Lutheri doctrinam esse à Deo? id autem furenter e-  
mugire, Lutheri doctrinam esse à Diabolo? Sed ad parvam nostram  
Catechesin, Auditores, redeo: cujus, si ubertatem, si opes, si copias, ab  
aliquo Luthero explicatas, nobis uno quasi contuitu videre liceret: ne  
mirabiles sui amores in nobis excitaret: ne fatendum nobis foret, in  
illis exi-

illis exiguis pagellis, quasi involucris atq; integumentis quibusdam  
amplissimi, & cum nullis, ne totius quidem mundi, opibus compa-  
randi, thesauri, ex sacrarum literarum in immensam profunditatem  
patentibus divitijs delibatam vim constructam atq; reconditam esse.  
Nihil enim est in omni heresi tam intectum, nihil in Pontificijs de-  
liramentis tam arcanum, nihil in toto Dei Maosim regno tam vali-  
dum, cui ille ipse Libellus, tanquam Davidulus Goliatho, cum sum-  
ma Christiani nominis laude, opponi non possit. Nobis in hoc tem-  
pore suffecerit uno atq; altero ex eo desumptis exemplis ad oculum de-  
monstrasse, eam, quam Thaumasiander Lutherus professus est, do-  
ctrinam, non è cerebro ipsius nuper natam, sed ex sinu aeterni Pa-  
tris per unigenitum Filium prolatam, nec Diaboli, sed Dei doctrinam  
esse. Quod ipsum & inde convinci potest, quod, cum, superiori se-  
culo, sedentis in Dei templo, Pontificis Romani tanta esset in omnes  
homines, superstitione atq; opibus circumvallata, tyrannis, ut nemo,  
quamvis ab eruditione, sapientia, viribus, divitijs instructissimus, ne  
hiscere quidem impunè adversus Papam auderet: sed omnes reges,  
principes, nobiles; omnes magnis subsidijs fulti: omnes splendore, au-  
toritate, amplitudine armati, eruditione atq; sanctimonia con-  
spicui viri omnes: cælum, terra, mare, volucres, arbores,  
agri, solitudines, bestie, pisces, Angeli ipsi, Papa velificarentur,  
Papam adorarent, Papam timerent: ei uni fasces suos submitte-  
rent: ei vexationem rerump. provinciarum expilationē, direptio-  
nem orbis liberam concederent: ei ad leges honestas perstringendas,  
ad omnem magistratus auctoritatem proculcandam, ad sacra scri-  
ptura certitudinem evertendam fores patefacerent: Lutherus  
nullâ potentia munitus, omni auxilio humano orbatus, nulla exi-  
stimatione clarus, unus ex omnibus, adversus tantam vim insurge-  
re, pontificiamq; sanctitatem, emissis è sacrosanctâ scriptura bron-  
teo fulminibus, verberare ausus fuit? O rem admirandam! ô fa-  
ctum stupendum! quod quibus aspiciemus oculis alijs, quam ut il-  
lud doctrinae Lutheri, divinitus excitata, indubitatum atq; minime  
fallax testimoniū perhibeamus? Quid dicam de immenso illo in Me-  
galan-



Megalander Lutherum, atq; propemodum inaudito Dei beneficio, quod  
quibus verbis predicandum, quibus laudibus decorandum sit, nescio:  
quod inter tot fidas anathematum Pontificias versantem: inter tot  
tela proscriptionum Casariana incedentem: infinitis periculorum  
turmis circumfessum: innumerabilibus Daemonum telis impetitum  
Lutherum, nec ab hostibus interfici, nec tanta potentia frangi, nec  
procellis tempestatum opprimi, nec improbissimorum consiliorum  
versutia irretiri passus sit? Quid memorem invictum & intrepidum  
Lutheri animum? quid inauditam fidei plerophorian? quid admi-  
randam & incomparabilem, & coram Casare, coram Principibus,  
coram toto orbe, inspectantibus & frementibus cunctis Diabolis, ve-  
ritatis tuenda constantiam, & in totius ferè mundi odijs sustinendis  
magnanimitatem? Eloquentiam mihi saltem hujus Θεοδότης viri  
aspice: quam in eo heroe Deus tantam tamq; potentem esse voluit, ut  
unus contra Romanae Ecclesiae universa praesidia, contra auctorita-  
tem Imperatorum, contra Regum furores ita valeret, ut suae eloquen-  
tia arietibus universum Papatum concuteret, atq; velut Elias qui-  
dam labefactaret. nec in Germanica lingua quisquam est quam ille  
verbis purior, schematibus illustrior, sententijs crebrior, collocatio-  
ne concinnior, in obscuris apertior, & in apertis suavior. nihil ab ad-  
versarijs acutè, nihil subdolè, nihil versutè inveniri potuit, quod ille  
non viderit, & quasi Oedipus alter non solverit: nihil illius oratione  
grandiùs, nihil uberiùs, nihil ornatiùs; nihil verborum & senten-  
tiarum gravitate ponderosius. Quae omnia & singula, in unum Lu-  
therum collata, dona & bona, certissimum sunt signum atq; tecme-  
rion, eam, quam professus est Megalander Lutherus, doctrinam, Dei  
omnipotentis vocem & doctrinam esse. Ex quo & id efficitur: Lu-  
therum non auctore & suasore Diabolo, sed Spiritu Sancto horta-  
tore & impulsore id suscepisse, ut Papistarum idololatricis, Christo  
Apostolis, Prophetis, Patriarchis, toti antiquitati Catholicae ignotis,  
& intra annos mille introductis ab eo, qui perpetuas sibi cum Filio  
Dei alendas hostilitates constituit, institutis derelictis, ad verè Ca-  
tholicae: cujus Adam, Noah, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses,  
Elias,

E

Elias,

Elias, Esaias, vates omnes, Christus ipse, Apostoli, patresq; Ortho-  
doxi doctores fuerunt; cuius pulcerrimus inter filios hominum, Do-  
minus noster & redemptor Iesus Christus, caput est, Ecclesie unita-  
tem se adjungeret: ut per antiquam de semine mulieris omnibus se-  
culis caput serpentis veneficum contrituro doctrinam, voce Filij in  
Paradiso editam, ad Patriarchas repetitam, à Prophetis inculcatam,  
à Christo illustratam, ab Apostolis excultam: quam Dagon Roma-  
nus, Deus ille Maosin, tenebricosis suis Battutorum, Bernardinorum,  
Carmelitarum, Augustinianorum, Caelestinorum, Dominicanorum,  
Franciscanorum, & id genus infinitis examinibus obscuraverat, &  
tantum non ex genere humano exterminaverat, luci suae & pristi-  
no decori restitueret: ut ab haeresi ad fidem, à seditiosa & Tyrannica  
Papicolarum dissensione, ad Catholicam Christianorum, non urbe  
Roma, non uno principatu, non visibilis capitis delineatione circum-  
scriptam, sed per corda piorum, in capite & salvatore nostro, divina  
Spiritus Sancti virtute, longè lateq; disseminatam, consensionem: à  
mendacio ad veritatem; à Papa ad Christum; à Diabolo ad Deum  
rediret. Quae cum ita sint, quo te nomine appellem Papisto Turcice  
Jesuita? num improbum? at improbitatem omnem vincit ista tua  
improbitas. Num malitiosum? at quae malitia cum ista tua compa-  
rari potest? versutum? jam id quidem arrogas tibi & præclarum pu-  
tas. mendacem? falsum? peruersum? profligatè sceleratum? vulga-  
ria tibi tuaq; sectae sunt & obsoleta. Quo ergo nomine appellem  
hunc Papisto-Turcicum Jesuitam, Auditores? Sed quid laboro de  
nomine? quasi non constet, nihil post homines natos unquam tam  
improbè fieri, tam malitiosè committi, tam versutè excogitari, tam  
profligatè tamq; sceleratè geri diciq; potuisse, cuius nota familia illi  
Jesuitarum sanctae non iniusta sit: quodq; hanc Turcico Jesuiti-  
cam immanis blasphemiae atrocitatem longo post se intervallo  
non relinquat?

Verum, inquires, negari tamen non potest nocturnum illud, in  
quo Jesuitae toti sunt, Lutheri cum Diabolo colloquium? Inficiari  
nemo Lutheranus potest, Satanam cum Luthero de rebus ad salutem  
perti-

pertinentibus confabulatum? habemus confitentem Lutherum:  
non finxerunt Papista: ipse Megalander scripsit; & scripsit verè: &  
scripsit seriò: Quid hic agam, Auditores, quò me vertam, quid re-  
spondeam, planè nescio. Veneram enim, cum hoc colloquium, neq;  
per vos sciretis, neq; aliunde audire potuissetis, cum de eo altum sci-  
licet apud nos Lutheranos silentium sit: ut vestra ignoratione ad-  
hujus disputationis negationem, ad nostræ sententiæ propemodum af-  
flicta salutem abuterer. Sed quoniam diligentia Turcico-Iesuitæ  
investigatum est, quod latebat; in lucem productum, quod tenebris  
coopertum jacebat; in totum orbem disseminatum, quod in Lutheri  
libris, tanquam gladius in vagina, reconditum hæctenus hæretat:  
herba danda erit adversario, ut opinor; aut potius ad defensionem  
omnis oratio conferenda. Habes ergò Papisto Turcice Jesuita, ha-  
bes, quod est tibi maximè optandum, confitentem Lutherum, sibi  
cum Satana colloquium fuisse, sed ita confitentem, ut neget fuisse,  
tale colloquium, quale olim Sylvestri tuo Pontifici Romano, cum  
Diabolo intercessit; cum infornatissimus ille Secundus à vestro Deo  
Satana pontificatum maximum, pacto animæ & corporis pignore,  
impetraret, atq; ex eodem postea sciscitans, quamdiu in Pontificatu  
superfuturus esset, responsum quàm maximè dubium acciperet: aut  
quale Sacerdos quidam cum muliere obsessa Zantese habuit, ex qua  
extorsit effatum, quo Diabolus testimonium dicebat, impressis Fran-  
cisco à Christo vulneribus: aut quale fuit Gregorij septimi, capitis  
Ecclesiæ vestræ famosissimi, cum is hostiam, quam vocant, conse-  
cratam, ut ex ea oraculum adversus Imperatorem eliceret, in ignem,  
presentibus Cardinalibus, atq; id ipsum (ò rem stupendam!) frustra  
deprecantibus, conijceret. Tale colloquium fuisse negat: affirmat,  
autem fuisse tale Certamen, cum quo se conflictatos omnes semper  
conquesti sunt sancti, cujus vim atq; magnitudinem omnes verè pij  
quotidiè sentiunt. Nam cum omnes; quibus filij Dei vocem animi-  
sus sequi propositum sit: sedulò & syncerè virtutem colere, vitia ac  
impuritates, cane pejus & angue, fugere, vitamq; totam ad Regu-  
lam, in verbo Dei præscriptam, instituere oporteat: fit, ut Satanam,

Hostem Filij Dei irreconciliabilem, sibi capiant inimicum quam ma-  
ximè capitalem: qui tanta in ipsos crudelitate inflammatus fertur,  
ut nihil intermittat opera, quin id nitatur, id contendat, id efficiat,  
ut ad lapsum eos impellat, & à veritate ad mendacium seducat.  
Neq; verò existimandum: esse hoc certamen jocularium aut ludi-  
crum. classicum hic canit, non ex sanguine & carne compo-  
situs, hostis: sed Leviathan ille, ex cujus faucibus prodeunt faces,  
absilientibus, tanquam stricturis, igneis ex naribus exit fumus,  
tanquam abeni-undantis ac ferventis: flatus ardet carbonibus, ma-  
nante ex ejus ore flammâ: quo commovente formidant divi, fractiq;  
labefactantur: qui non expavescit gladios, non hastas, non tela, non  
loricas: qui reputat, ut paleam, ferrum, ut lignum putre chalybem:  
qui pro stipula habet catapultas, ridetq; vibratam lanceam. Hic hic  
hostis nos ad Martem deposcit: hic armis & castris nos tentat:  
hic, bellum funestum, luctuosum ac lacrumabile nobis infert. Ac  
forte hoc ferendum videretur, si unus in nos irrueret, vel nos ipsi  
pares essemus. Verùm ita se res habet, ut Satan secum in aciem  
educat, imperia, dominatus, principes hujus mundi, superbissimum  
spirituum malorum delectum: nos homines vani, imbelles, spoliati,  
hesterni, res caduca & fragilis, flos arescens, faenum exiccatum,  
pulvis, umbra, caro, cum forti armato, cum Leone rugiente, cum  
spiritibus nequitia, cum magno rufo habente septem capita, decem  
cornua, Dracone comparemur, atq; ita comparemur, ut sive dor-  
miamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quod  
cunq; opus operemur, semper adversus illum, nobis in procinctu stan-  
dum sit. Versutus enim est hostis & impiger, & imperterritus &  
audax, qui nunc hic, nunc illic, nunc hinc, nunc inde, in nos impe-  
tum facit: nunc in agnum, nunc lupum, nunc lucem, nunc te-  
nebras, nunc in alias figuras, Prothei instar, se convertit. ut tri-  
stes decipiat, tristatur & ipse: ut gaudentibus illudat, fingit & se  
gaudere: ut spirituales decipiat, in Angelum Lucis se transmutat: ut  
fortes comprimat, apparet agnus: ut mites devoret, apparet lupus.  
Nec spectandi causa, aut risus commovendi, nobiscum hanc pu-  
gnant

gram in it. agitur sanguis; agitur vita; agitur salus hominum. nec  
 joculariter nos ferit: grandibus cestis, hasta Goliathi, telis ignitis, pun-  
 ctim, caesim, eminus, cominus, foris, intus, à fronte, à tergo, palam,  
 occultè, velis remisq; contra nos ruit. Davidi, vati regio, tam ab-  
 tè cuspidem impingit, ut se à Deo projectum conqueratur. Jobum  
 adeò lethaliter saucit, ut anima sua suspendium optet. Ipsum  
 Filium Dei tanta tamq; incredibili sagittarum copia transverberat,  
 ut expavescat, ut contristetur, ut præ animi pavore sanguinem  
 sudet, ut parum à desperationis periculo absit, ut in vocem illam  
 lamentabilem, toti mundo ante inauditam, erumpat. Quam ad-  
 rem strategemate Diabolus utitur, eoq; non vulgari, sed pene singu-  
 lari. arripit enim id, quod planum est atq; cognitum; quod negari  
 non possit: eoq; ipso sua ex mendacijs consuta tela examussim vestit  
 atq; mirificè ornat; neq; tantum ornat, sed acuit etiam, atq; exaspe-  
 rat. Prodidisti Christum Juda? quid stas? quid mussas? negari  
 res non potest: nihil hoc ipso verius, nihil apertius, nihil manifestius.  
 Prodidisti magistrum Discipulus, Dominum servus, innocentem  
 perditus. quid hoc ipso pejus? quid sceleratius? quid detestabi-  
 lius? at fortasse veniam speras istius te maleficij impetratu-  
 rum! à quo illam petes miser? num ab eo, cujus Legatum nefario  
 scelere prodidisti? an ab eo, cujus Filium unigenitum adeò sevis  
 dilaniationibus objecisti? nihil agis, nihil efficis, nihil consequeris.  
 majus est peccatum tuum, quàm ut tibi remitti possit. abi infelicis-  
 sime, abi, infeliciori arbori te suspendito! Non poterat, auditores,  
 negare factum Iudas; non facti atrocitatem infirmare; verum erat,  
 quod constrictum omnium hominum conscientia tenebatur, ipsius  
 scelus. Quid ergò? id fictum erat, falsum, blasphemumq;, quod  
 de suo addebat Satanus; majus esse peccatum Juda, quàm ut ipsi  
 remitti posset. Et tamen (agnoscite cum incredibili astutia con-  
 junctam audaciam hostis) hæc ignita desperationis tela, veritatis  
 voce exasperata, sic inflammat, sic acuit, sic ventilat, ut Judam  
 exurant, ut ei cor transfigant, ut eum ad gulam laqueo frangendum  
 adigant. Quid de nobis ipsis dicam? nonne ita se res habet? nonne

et dem contra nos strategemate pugnat? cum tibi delictum ob oculos  
ponit, cum manifesta errata, cum vitam nequiter actam inculcat,  
ecquid tum dicendum? negabis, an fateberis factum? negare non po-  
teris, licet vel Nerone vel Judas sis obstinator. Conscia facti

Mens habet attonitos & surdo verberere cedit,

Occultum quatiante animo tortore flagellum.

Quod si peccatum fassus fueris, quemadmodum te facere necesse  
est, jam conclamatum est: jam jacta est alea: jam te morti, infer-  
no, Diabolo, mancipasti. Pernegas? at Diabolus habet duos testes  
omni exceptione majores: & tuam ipsius conscientiam, quæ te accu-  
sat; & Dei vocem, exitium & maledictionem, omnibus, qui legem  
transgressi fuerint, horribiliter denunciantem. Hic autem videas  
Diabolum savientem, tonantem, fulminantem; hic ampullantem;  
hic vera falsis miscentem; hic omnes misericordie divinae calcul-  
culos tibi turbantem, videas: hic savissimos intra pectora tumult-  
us concitantem audias. Estq; hæc lucta, hæc cum Satana coitio, ad-  
eò terribilis, hic conflictus tam gravis, tamq; periculi plenus, ut  
cum homine planissimè actum sit, nisi Deus ei cælitus opem ferat,  
vel per vivam verbi prædicati vocem, vel interni sui Spiritus san-  
cti ministerio, qui verbi prædicati memoriam in corde afflictæ refri-  
cet, qui ipsum hac oratione internâ quasi compellat: confessus es &  
non negasti, responsonem à te affirmantem obtinente Diabolo, quod  
hactenus peccaveris, quodq; merito tuo, sicut Iudas, damnatus sis.  
Verum age nunc exemplo Petri ad Christum te converte, & quid  
ille pro te egerit, vide. Christus istam vocem tuam, qua te peccato-  
rem affirmasti, rursus condemnavit, inq; nihilum redegit, ut nequa-  
quam tibi obesse possit. Extra quidem Christum jus Diabolo in te  
esset: sed quia Christo insitus es, quia Christum invocas, ista tua  
affirmans responso in negantem conversa est: ut jam Diabolo pos-  
sis insultare, atq; adversus ipsum his te verbis efferre: sim licet pec-  
cator, non tamen sum peccator. peccator sum mihi relictus, extra  
Christum: peccator non sum extra me, in Christo Iesu. Ipse enim  
peccata mea sustulit: ipse, quod debeo, chirographum cruci affixit:

ipse

ipso suo sanguine sordes meas abluit: cuius rei indubitata habeo testi-  
monia, sigilla certissima, syngraphas minimè fallentes, baptismum, ab-  
solutione & carnã Domini. Hoc, inquam, modo nisi spiritus sanctus ho-  
minem cum Satana conflictantem, cum inferno colluctantem, acer-  
bitate ira Dei exanimatum, magnitudine peccatorum prostratum  
erexerit fieri non potest, quin assultibus Diaboli tam horrendis,  
tam sevis, tam sanguinarijs fractus, in corporis atq; animi perniciem  
sempiternam precipitem sese deturbet. Talem ergo luctam sibi cum  
Satana fuisse taleq; colloquium, narratione sua gravi atq; seria te-  
statur Lutherus. Quid Papisto-Turcice Jesuita? quid inde con-  
cludis? ecquam inde machinam ad evertendam Lutheri doctri-  
nam extruis? Ergò, inquis, Lutherus à Diabolo magistro eam, quam  
professus est, habet doctrinam? O egregium & formalem Sophistam!  
Quod si nec David, nec Iobus, nec Ieremias, nec caput Ecclesiæ  
Christus, nec ter maximus Apostolus Paulus eodem cum genere ten-  
tationis conflictati fuissent: vah! quam tu triumphares! quam  
gestires! quantas ageres in nugis Tragædias! quam verò mirabi-  
lia in convertendis Lutheranis patrares! egoq; ipse, relicta Luthe-  
ranorum professione, in tua castra lubens volensq; primus transi-  
rem. Nunc, cum nec Davidi, viro ad gustum Iehovæ; nec Paul-  
lo, lecto illi Dei organo; nec ipsi filio altissimi, Domino & Servatori  
nostro Jesu Christo Satan pepercerit; sed illum in tantas angustias  
redegerit, ut de sua salute desperare videretur: istum colaphis et-  
jam ceciderit; hunc verò non solum de loco in locum secum  
deduxerit, sed ad Idololatriam quoq; ad apostasian, ad adorandum  
Diabolum, promissis huius totius mundi regnis & eorum gloria, pec-  
cati auctor justitiam, mendax veritatem, damnatus judicem, indu-  
cere conatus fuerit: quid mirum, Papisto-Turcice Jesuita, quid mi-  
rum, si istã tuã egregiè formali conclusione, auriculas asini tam  
elegantè prodis? si tuo iudicio, ut sorex, peris? si te malitiosum  
miserum, indoctum & perditum ista ipsã oratione tua liquido osten-  
dis? Malitiosum, qui narrationem Lutheri tam tetris mendacijs  
deformes? miserum indoctumq; qui, quid sit tentatio, ignorare te  
palam

palam doceas? perditum, cum te nunquam cum Diabolo in arenam descendisse, aperte profitearis? Quæ enim potest esse, auditores, malitia major, quam si quis bonorum virorum scripta; quod Turcicum Jesuitam fecisse tam est certum, quam quod certissimum; suis nugis sceleratissime coinquinet? interpretatione suâ nequissime pervertat? in eis examinandis, aut potius vexandis, nunc id, quod conjunctum est, dividat, nunc, quod sejunctum est, componat; nunc posteriora in priorem, nunc priora in posteriorem locum transferat: versando deniq; exagitando, calumniando sursum deorsumq; volvat? Quæ, autem, miseria gravior, aut quæ, in Theologo minimè ferenda, ruditas flebilior excogitari potest, quàm, quâ immersus Jesuita jacet? O te miserum! qui nec, in quanto periculo res piorum quotidie versentur, agnoscis! nec quanta ipsos singulis momentis Diabolorum Phalanges circumstant, percipis! o te verò bellum Doctorem! o perbenè exercitatum Theologum! qui crucem ignoras, tentationes nescis, Diaboli flagella non habes cognita! quid mirum si disputatione Lutheri cum Diabolo ita perturberis, ita exastues, ita fluctues? Quomodo autem potuisti, homo nullius palæstræ, tam teneris pedibus, tam multa spatia, per disputationis Lutheri cum Diabolo vepreta, conficere? cur tibi à Lutheranis hic non imperasti culcitram substerni & pulvillos benedictione, ex Megalandri scriptis sumpta, plenos? cur non, supplicationibus ad divorum pulvinaria factis, à Pontifice tuo precatus es, ut, quicquid calcares, rosa fieret? videre mihi videor scortillum Terentianum, pro more pitissando dicere, asperum hoc pater est, aliud lenius sodes vide. Ferat hic ocyus puer aliquis calicem mulsi, de captivitate Babylonice Lutherana cupâ haustum, ut flere desinat pupus, & contractam ex colloquij Lutheri cum Diabolo asperitate molestiam levet. Sed tamen te revera miserum & rudem Theologum, qui nec quid sit crux teneas, nec quid tentatio, scias, nec quid Theologia praxis, calleas? A perditione verò ac interitu quam propè absit iste homo, qui leonis rugitum nunquam audivit, quem egressus à facie Domini Satanas nunquam tetigit, in cujus ille carnem ~~oxolent~~

nun



nunquam defixit; hoc te Turcice Iesuita, vel unica illa Ambrosij  
historia, quam tamen tibi notam esse valde dubito, merito docere po-  
tuisset. Ferunt enim, divum Ambrosium, Mediolano Romam ali-  
quando profectum, ad quendam cauponem divertisse; cum quo, an-  
tequam accumberetur, in colloquium de vitæ humana conditione  
venerit: atq; hic sanctum virum, cum audivisset gloriantem cau-  
ponem, sibi nihil unquam adversi quicquam in vita accidisse, sed se  
inde ab incunabulis secundâ atq; ad nutum fluente fortuna semper  
usum: ad comites conversum dixisse; agite fugiamus hinc: ne & nos  
divina corripiat pœna: Deus enim non adest huic domui: & dicto  
citiùs se in pedes coniecisse: vixq; Ambrosio & hujus comitibus pago  
egressus, hiatu patefactam terram, & ipsum cauponem & ipsius do-  
mum & omnes cauponis homines & hospites cū suis rebus devorasse.

Nihil igitur tuâ conclusione, Papisto Turcice Iesuita, efficis,  
nihil, atq; ut iteratò dicam, nihil. non ferunt tantam tuam impuden-  
tiam Lutherani: non patiuntur: non sinunt. in faciem tibi impin-  
gunt ista tua, luce meridiana clariora, mendacia: in os tibi oppo-  
nunt tuam in filium Dei; quem solum Lutherus docuit, quem co-  
luit, quem amavit, quem complexus est solum; exploratissimam  
blasphemiam: malitiam tuam tibi regerunt: miseriam occinunt:  
ruditatem exprobrant; interitum, cui vicinus es, prædicunt. Ipsi  
autem hoc unico latantur, gestiunt, exultant, quod sciunt comper-  
tumq; habent: eam, quam nostra Ecclesiæ profitentur, doctrinam, ef-  
se, non hæreticam, sed Catholicam; non falsam, sed orthodoxam;  
non à Diabolo sed ab ipso Deo profectam: esse vocem veritatis, vo-  
cem vitæ, eamq; ipsissimam doctrinam, quam Jehova in paradiso  
primis parentibus annunciavit; ad Abrahamum & Patriarchas  
repetivit; per Moysen & Prophetas testificatus est: per Filium illu-  
stravit: per Apostolos, Evangelistas, Doctores suos in totum orbem ter-  
rarum disseminavit: per Thaumasiandrum Lutherum, ad hoc tantum o-  
pus à Filio Dei excitatum, neq; tantum excitatum, sed missum, neq; tan-  
tum missum, sed heroico & non imitando Spiritu armatum, à recrementis  
Pontificijs repurgavit. tuas verò traditiones esse Catholica doctrina  
corruptelam, inferni vocem, Antichristi tubam, commentumq; ca-  
colycum

colycum, in quod, tanquam in Pandoram, omnes Diaboli, quisque  
 suum mendacium contulerit: tuum Pontificem esse hereticorum  
 hereticissimum, esse Meretricem Babylonicam, esse filium perditionis:  
 te denique tuosque esse Lutheromastigas, regum percussores, principum  
 expilatores, rerum proditores, falsos, hypocritas, mendaces, blasphemus.  
 Hoc unico letamur, hoc unico gestimus, hoc unico exultamus  
 Lutherani: Deoque gratias, quantas possumus, maximas agimus, quod  
 per Evangelistam illum Filij sui magnum, volantem per medium caeli,  
 habentem Evangelium aeternum, ut Evangelizaret incolis terrae,  
 & omni genti & tribui & lingua & populo, timete Deum, eiusque glo-  
 riam tribuite, magna voce dicentem, per Doctorem Martinum Lu-  
 therum, huic senecta mundi restitutam Evangelij lucem, apud nos  
 quoque, quae est infinita bonitas ipsius, liberalissime accenderit: Eumque  
 supplicibus votis imploramus, ut in multos apud nos annos eam quam  
 purissime lucentem clementissime conservet. Tuque, o Supreme pater  
 atque princeps, o pater Domini nostri Iesu Christi, si a te orta est, quam  
 colimus, religio: si vera est meriti Filij tui, quam Lutherus celebravit,  
 predicatio: si verum inter nos in verbo & Sacramentis habitas: latus  
 complectere hanc, cuius interpretes & doctor a te missus fuit Lutherus,  
 doctrinam: juva, rege, tege, orna, amplifica eam: & da, ut ubi ad ju-  
 dicium tuum veneris, tibi gloriosum, pijs exoptabile, impijs formidan-  
 dum, nos tui vocem istam tuam dulcissimam exaudiamus: Venite, be-  
 nedicti Patris mei, possidete paratum vobis ad orbem conditum regnum.  
 Veni Domine Iesu veni, ut nos ad te veniamus, ad te, per te, traducti!

---

**P**ALMAM LUTHERI, SERRA, SERRARIUS, atrâ.  
 Dignus, ut infestat, talia sancta Fides.  
 Appage sis Erebi hos: Lajolica Larva,  
 Tunc DEI verbum Daemonis esse feras?  
 Ex Israelis sanctis quæ fontibus hausit:  
 LUTHERUS, Stygio tunc lacu orta putas?  
 Hem Stygie! ast celebris tibi gratia magna SIMONI,  
 Qui melius loqueris, sit licet Orcus hiet.  
 Ne Serram patiare; Serâ munito labellum  
 SERRARI, videt hæc vindice JOVA oculo!  
 M. PAVLVS RVTINGIVS P. L.

NICOLAUS SERARIUS

*ἀναρχαμμ.*

AIS SCURRA ? EN LUIS.

*Vel sic:*

NICOLAUS SERARIUS JESUITA.

*ἀναρχαμμ.*

ANTI-JESUS, ES RIVALIS ARCU.

**T**unc illum à Stygio doctū Plutone LUTHERUM,  
Hujus & Inferni Dogma Leonis, AIS!

O scelus, ô facinus! nonne hoc est dente nefando,  
Perpetuâ dignum, rodere, laude, VIRUM!

Sed bene habet: latra, ganni, mordeq; frequenter,  
Et nunquam rabidus carpere, fiste, pios:

SCURRA es, scurra manes scurrans, scurrilia tractas;  
Rebus conveniens nomen in omen abit.

Macte novâ pietate tuâ, SANCTISSIME! macte!  
Sic potes ad Stygias scandere tutus aquas!

Surgite discipuli LUTHERI, furgite, veri,  
Sincerâ invicti Relligione, viri:

Scribite discipuli Lutheri, scribite, famam  
In caput Auctoris spargite sacrilegum.

Stultitiæ pendat ficto pro crimine pœnas;  
Exitium facti sentiat ipse sui.

Fallor? an exculto doctoq; SIMONIUS ore,  
Tale peroptatò sponte subibit onus.

HIC VIR, HIC impatiens tantæ blasphemix, & astus,  
Virtutes meritâ concinit arte tuas.

EN LUIS! en! Jesu socium te dicis; at omen  
Nomen condecorans ANTI-IESUS erit.

Quin & Romuleo scorti ES RIVALIS in ARCU  
Incubus, aut certè succubus, igne pari.

IONAS GREGORII Cymber.

EJUSDEM.

*IN PAPISTO-TURCICAS  
ORATIONES SERARII.*

**T**urcica sunt, seu sunt Papisto-Turcica, **SCURRA** hic  
Quæ ridenda dedit, quæq; legenda dedit.  
Utraq; Evangelio quàm sint mala noxia Christi,  
Et **PAPÆ** & Turcæ facta nefanda docent.  
Quanquam quæ Scythicis patimur percussa sagittis  
Vulnera, Pontificis sunt ea facta manu.  
Regibus ille fidem, verbumq; fidemq; Ministris  
Sustulit. hinc patriam Turcica tela premunt.  
Ille aris larvam, scelerataq; dogmata regnis  
Intulit. hinc patriam Turcica tela premunt.  
Ille diem nocti, mare terris, tartara coelis  
Miscuit. hinc patriam Turcica tela premunt.  
**Non** igitur mirum, Hoc Monstrum tot pestibus actum,  
Larvatâ genuit quod Cacodæmon anu.  
Matrem progenies sequitur; sobolesq; parentem;  
Lucifer huic genitor, Lucifer huic Genitrix.  
Hoc mirum: huic tali quenquam se opponere monstro,  
Ac incarnatum iterare Leviathan.  
Quisquis es, & turpis non nosti monstra Serari,  
Aures **SIMONIO** porrige; certus eris.

ITEM.

**Q**uæ Schola Serario? **FORNIX**. Quis doctor? **Iacchus**.  
Quid jactat? **Nugas**. Quâ ratione? **minis**.  
Lædere Lutherum potuit? **Quid** quæris? **AVERNUS**  
Frendet; at invictus **Thaumasiander** erit.

ITEM.

**Q**uæ? Qualis? Quanta est tua dictio **SCURRA** **SERARI**?  
**Squalida**. **Ficta**. **Pili** non facienda pñs.  
**Fel** de melle; **rosis** succerdam; **lacte** venenum,  
**Sugis**: & id proprio, quod licet, ore tuo.

¶ ¶

S

A hic

acchus.

NUS

Erari?



79 5568 M

M. C.



ULB Halle

3

004 965 574



V 517







DN  
Saxo  
ni Im  
ring

A  
LV th  
Ment  
Cleme  
Aspic  
Luthe  
Lancin  
Sed fr  
Tuqz  
Prince  
Doctr  
Assert

Ex

BIB  
POND

Principi ac

NO II.

ri Roma-

ndgravio Tu-  
vio Magdebur-  
en-

stior Ipse,  
celsissime: nostru  
E avita; (hunc

os,  
ende benignus.


s astu  
ago  
Tu!

cluta Ruta:  
ime, vive

nnos,  
Relligionis  
nna!

. April. 1606.

IMONIUS.



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak  
LICENSED PRODUCT

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

